Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Mittamus lignum in panem eius · et eradamus eum de terra viuentium · et nomen eius non memoretur amplius · Tu autem domine sabaoth qui iudicas iuste · et probas renes et corda · videam vltionem tuam · Tibi enim reuelauimus causam meam domine deus meus · Lectio libri sapientiae ·

In diebus illis · Dixerunt impii intra se · Ponamus insidias iustis · quoniam inutilis est nobis · et contrarius est operibus nostris · et improperat nobis peccata legis · et diffamat in nos peccata disciplinae nostre · Promittit se scientiam dei habere · et filium dei se nominat · Factus est nobis in traducem cogitationum nostrarum · Grauis est etiam nobis aduertere · quoniam dissimilis est aliis vita illius · et immutate sunt viae eius · Tanquam nugatores estimati sumus abillo · et abstinet se a viis nostris · tanquam ab immundicis · et perfecta nouissima iustorum · et gloriatur patrem se deum habere · Videamus si sermones illius veri sunt · et temptemus quae eventura sunt illi · et sciemus quae erunt nouissima illius · Si enim verus est dei filius · suscipiet illum · et liberabit illum de manibus contrariorum · Contumelia et tormento interrogemus illum · ut sciamus reuerentiam illius · et probemus patientiam eius · Morte turpissima condemnemus illum · Erit enim respectus ex sermonibus illius · Hec cogitauerunt · et erraverunt · Excecauit enim illos malitia eorum · et nesciuerunt sacramenta dei · neque mercedem speraverunt iustitiae · nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum · Passio domini nostri ihesu xpi secundum Marcum ·

In illo tempore · Erat pascha et azima post biduum · Et quaerebant summi sacerdotes et scribae quomodo eum dolo te